Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Uerum humana mens et nostra praecipue qui nos minimos
aut etiam nullos in divina sapientia novimus eo
usque fortassis possit accedere ut sentiat quidem haec
quae divinis voluminibus inferuntur non de terrenis
sed de caelestibus dici et formas esse non praesentium sed futurorum
bonorum. Non corporalium sed spiritalium rerum. Quo
modo autem rerum narratio aptari possit caelestibus et aeternis.
Nec nostrae mensurae est dicere nec vestrae ut opinor capa
citatis audire. Precantes tamen si nos orantibus vobis
dominus inluminare dignetur quae ad ecclesiae aedi
ficationem pertineant aperire temptabimus. Iubetur
ergo universus populus unusquisque pro viribus confe
rens facere tabernaculum. ut quodammodo omnes si
mul unum sint tabernaculum. Conlatio vero ipsa
non fit necessitate sed sponte. Ait enim dominus ad moysen
unicuique sicut visum fuerit cordi eius aurum. argentum.
lapides praetiosos. aes. tum praeterea byssum. coccum.
hyacinthum. et purpuram. pelles etiam arietum rubricatas
et pelles hyacinthinas. sed et ligna inputribilia. pilos
quoque caprarum ad constructionem tabernaculi offerri.
Mulieres quoque sapientes in arte textrini requiruntur.
Et fabri qui aurum vel argentum vel aes vel lapides
etiam aptare noverint auro et ligno formare;
Tum deinde mensurae traduntur atriorum. quae atria